

intelligitur, non ex accentu. Hoc ut pateat, apponam locum secundum accentus distinctum.

*Et dicebat Joas:
ad omnes adstantes.*

An vos litigabitis pro Baales? :

Major est distinctio in *Joas*, quam in *adstantes*, quia lector vocem *Joas* tardius pronuntiavit, quam *adstantes*. Cur hoc? quia personam respondentem distinctius sistere voluit. Oratores emphatica pronuntiatione voces præcipuas fortius auditoribus imprimunt, ut firmiter menti inhæreant.

§. XXXVIII.

Supereft nova regula in Diacritica Frankiana, cujus B. L. participem facere cupio. Illud legimus p. 91--102. *Eadem & similia verba non semper eodem modo distingui, sed ubi diversi conceptus logici locum habent, ibi etiam variam distinctionem locum habere in iisdem & similibus.* Sed etiam hanc regulam suis laborare erroribus certum est. Fateor equidem, eadem verba quandoque diverso modo accentuari, sed nego diversos accentus diversos parere sensus, ut res evidentior fiat, exempla proferam Gen. XLIX, 31. eadem verba diverso modo distincte legimus:

Ibi sepeliverunt Abrahamum.

Ibi, sepeliverunt Isaac.

Sic quoque Hag. II.

v. 6. *Ego, commovebo, cælum & terram.*

v. 21. *Ego commovebo, cælum & terram.*

Quis dixerit cum Frankio diversos conceptus logicos hic exhiberi. Eadem verba eodem ordine posita etiam eundem sensum gignunt. Sed dicam diversæ distinctionis rationem veram, ex principio decoræ lectionis. In priori exemplo, Auctor accentuum in lectione distinxit vocem *sepeliverunt*, in altero, vocem *ibi*, quod germanice sic efferes:

Daselbst haben sie begraben, den Abraham

eben daselbst, haben sie begraben den Isaac.

Nihil differentiae intercedit, nisi quod in posteriori loco Autor accentuum cum emphasi vocem *ibi* expresserit & illum locum firmiter auditorum animis impresserit, cum in priori ad vocem *se-*

I

pelive-